

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua
Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin
Schroeder, Johann
Vitembergae, 1719**

VD18 11653507

§. X.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

cum primis ubi fidei contradistinguitur, juxta canonem GERHARDI: Quando pœnitentia tribuitur effectus remissionis peccatorum, gratia Divina, aversionis vel mitigationis pœnarum, vitæ & salutis æternæ, non tamen disertæ sit mentio fidei, in illis dictis pœnitentiæ nomine totum conversionis opus intelligendum est. Vicissim quando fides in Christum pœnitentiæ disertis verbis adjungitur, tunc pœnitentiæ nomine altera pars illius tantum, videlicet contritio intelligitur. Quanquam dissimulare non possim SEBAST. SCHMIDIVM, Theologum gravissimum non vereri in his ipsis oraculis, ubi pœnitentiæ fidei contradistinguitur, significationem non retinere μερικῆν sed ὀλικῆν. Nihil enim ipsi impedire videtur, quo minus in dicto: Facite pœnitentiam & credite evangelio. Marc. 1, 15. non dicatur contradistingvi partem partî, sed partem toti, ita ut hoc primo ponatur & deinceps pars, velut medium ad salutem proportionatum, subjungatur. Colleg. Bibl. N. Test. p. 261. sq. Malunt tamen pii Confessores primæ notioni, nempe μερικῆν ibi locum dare F. C. L. V. p. 711.

§. X. Quando igitur conversio completa perficitur a Spiritu S. in corde hominis cujuscunque, atque sic poenitentia, ὀλικῶς accepta, producitur, simul regeneratio stricte sumpta peragitur, & fides datur atque accenditur, ut adeo conversionis ὀλικῶς acceptæ itidem actus duplex constitui possit, vicissim vero, ubi μερικῶς sumitur, nihil aliud denotat, quam contritionis veræ & genuinæ productionem. In qua ipsa sanctissima operatione Spiritus S. ita procedit, ut nunc nudum horrorem de peccato, etiamsi specificè nondum cognito, eum tamen serium verumque, excitet, absque actu tamen reflexo, tum intellectus, tum voluntatis, attentione ad se ipsum vel aliis ejusmodi actibus, quæ ex usu rationis simul promanant: nunc vero talem dolorem, qui oritur ex accurato scrutinio sui ipsius, adeoque actu intellectus reflexo, & se per externa indicia satis conspicuum reddit. Di-

stinctum itaque est contritionis *formale a materiali*, actus reflexus non ad prius, sed posterius referendus. Et habet se hic negotium, sicut cum *fide infantum*, cujus *materiale cum formali* confundi a Calvinianis & Pontificiis observat WILH. LYSERVS in *System. Theol. Dogmat. Exeg. p. 1273.* utpote qui ad fidei partes materiales, quæ in adultis se exerunt, attendant, cum tamen debeant ejus formale considerare, quod est *conditio passiva Christum recipiens*: perinde enim peragitur contritio, quam Spiritus S. in cordibus tenellorum infantum operatur, absque ullo apparatu, qui apud adultos poenitentes in peccatorum ad legem scrutinio, succelsiva agnitione & dolore, ejusque expressione consistit. Carentia nimirum actus reflexi negationem actus directi nequaquam inferre potest, nisi velimus multa absurda admittere, quæ quotidiana sensuum experientia talia esse demonstrat. Accedit quod hic, uti fides, ita & contritio *se habeat passive*, & ut actio consideratur, non *hominis seu infantis*, sed ipsius *Spiritus S.* Unde nulla ratione opus est, ut infantes, in quibus tale quid producit, habeant *actum intellectus & voluntatis reflexum*, & graviter, solideque respondet THEOD. THYMMIVS Photinianis, qui regenerationem, & conversionem, quæ sit mutatio totius hominis, infantibus denegant, ex hoc capite, *quia Infantes nesciant, quid dextrum quid sinistrum*; quod, *quamvis non possint mutare mentem naturaliter, possit tamen Spiritus S. supernaturaliter carnem in ipsis facere spiritum, & mentem atque voluntatem convertere, Impietate Photinian.* p. 598. Quam diu itaque certum est, *Contritionem non esse activam, factitiam & ab homine ipso elicitam, sed passivam & a Spiritu S. effectam*, ut docetur in *Consensu repetito Art. XII. p. 102.* Certum est, Infantes tenerrimos ab ea non prorsus excludi posse, sive eos in baptismo spectes, sive post baptismum.